

# Kirchliches Verordnungs-Blatt

für die

Savanter Diöcese.

**Inhalt:** 88. Decretum S. R. C. circa canonizationem beati Gerardi Maiella. — 89. Decretum alterum S. R. C. circa canonizationem beati Gerardi Maiella. — 90. Decretum S. R. C. circa beatificationem et canonizationem servi Dei Stephani Bellesini. — 91. Litterae Apostolicae Pii PP. X. quoad festum Deiparae V. a bono consilio et s. Petri Claver. — 92. Decretum S. R. C. quoad Missam votivam de Immac. B. M. V. Conceptione. — 93. Dubium circa usum

conopei ante tabernaculum ss. Sacramenti. — 94. Litterae Pii PP. X. ad Cardinalem P. Respighi de educandis clericis in seminariis Romae existentibus. — 95. Priestererzbiten im Jahre 1904. — 96. XXV. Generalbericht der „Österr. Gesellschaft vom Roten Kreuze“. — 97. Weisung, betreffend die Matrifenauszüge für schwedische Staatsangehörige. — 98. Sammlung für die durch eine Feuersbrunst heimgefuhrten Bewohner von Hermagor in Kärnten. — 99. Literatur. — 100. Diöcesan-Nachrichten.

88.

## Decretum Murana seu Compsana Canonizationis beati Gerardi Maiella, laici professi e Congregatione sanctissimi Redemptoris.

### Super dubio:

„An et de quibus miraculis, post indultam eidem Beato venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur“.

Divina Sapiencia, *ludens in orbe terrarum*, asserendae potentiae suae instrumentis utitur variis, iisque humano iudicio persaepe minimis, iuxta illud Apostoli: *Infirma mundi eligit Deus ut confundat fortia*. Hinc cernere est in regno Dei, quod est Ecclesia, maturae sanctitatis gratiam vel tenerae aetati, vel fragilitati sexus, vel humilitati conditionis, vel simplicitati mentis ineruditae saepe collatam. Huius vero rei, inter cetera quae afferri possunt, luculentissimum exemplum praebet Sanctissimi Redemptoris Sodalitas, cuius exordia duo praesertim mirabiles viri feliciter admodum illustrarunt, *habentes donationes, secundum gratiam quae data est differentes* (S. Pauli, Ad Rom. XII, 6); alter eius Familiae Pater, idemque Ecclesiae Doctor Alphonsus Maria de Ligorio; alter huius aequalis ac socius contubernii, sed famulatu addictus, adolescens nullo sacro ordine insignitus, nullis opibus, nulla humana doctrina instructus, Ven. Frater Gerardus Maiella.

Is patriam habuit Muranam urbem editusque in lucem est die sexta mensis Aprilis anno MDCCXXVI. Eius pueritiam tam matura exornavit pietas, tam vehemens ardor in caelestia, tam mira se afflictandi pro Christo cupiditas, ut veteres eremi incolas videretur ipse, annorum vix decem vitae, poenitentia exaequare. Ob rei familiaris angustias paternam sectari industriam brevi coactus in artem sartoris incubuit; in qua, quum ceteris virtutibus,

tum patientia maxime in exemplum enituit, nactus in officina contumeliarum tentationem ac verberum.

Inter haec, desiderio succensus perfectioris vitae gendae a profanis rumoribus et periculis prorsus remotae, Franciscuales capulatos enixe rogavit, ut in eorum societatem reciperetur; sed voti compos minime factus, quod ipsum ex oris qualore imparem iudicasset sustinendae severioris Instituti disciplinae, adscito sibi comite in eremum confugit. Inde etiam, parendi causa, brevi avulsus in famulatum se dedit Laquedoniensis episcopi. Quo mortuo, inter Sodales novae Congregationis Sanctissimi Redemptoris, post iteratas instantissime preces, in Deliceti collegium tandem exceptus est. Ibi auctae in dies sanctitatis illud etiam certissimum iudicium fuit, quod votum ediderit omnium difficillimum, peragendi semper quod optimum videretur. In sui autem officii muneribus, maxime ex occasione colligendae stipis et comitandi sacerdotes sacris missionibus destinatos, eam vim caritatis exeruit, iis inclaruit caelestibus donis atque prodigiis, adeo popularem sibi gratiam conciliavit, ut plane constiterit plenior ex agro Domini messem ipsum retulisse, quam sacri ordinis viros, quos ad verbi divini ministerium missos prosequatur. Post varias provinciae suae urbes ingenti cum fructu populorum peragratas, meritis onustus ac Deiparae praesentia in extremis roboratus, obiit sanctissime in oppido Caposele, nondum expleto aetatis suae anno tricesimo; ac novum sane, idque profecto mirum, argumentum praebuit, de virtute illa, qua suos alumnos ad praestantiora educunt Religiosae Familiae, quas eximiis indesinenter laudibus Apostolica Sedes prosequitur, quaeque idcirco Ecclesiae osores odio et infensis omne genus

persecutionibus impie, hac nostra potissimum tempestate, insectari non desinunt.

Tanti viri memoria eiusque sanctitatis ac prodigiorum fama ad haec usque tempora viguit pene recens: ex quo forte videri potest, de Beatorum Caelitum honoribus eidem decernendis serius quam par erat fuisse cogitatum. Sed maturior cura provehendi cultus Beati Patris legiferi Alphonsi Mariae de Ligorio causam filii retardavit. Interim vero patris ab eo miraculis plurimis, vel quum in vivis ageret, alia accessere post eius excessum. Quibus rite probatis, Leo XIII. fel. rec. solemniter et publico cultu, qui Beatos decet, Eum honestandum indulgit. Mox instantibus adhuc Sodalibus a Sanctissimo Redemptore, ut res denuo ageretur et fastigio gloriae imposito in Sactorum album B. Gerardi nomen accenseretur, causae reassumptio indulta est, praesertim cum bina vulgarentur, eius intercessione patrata miracula.

Horum primum contigit in Dioecesi Leodiensi anno millesimo octingentesimo nonagesimo tertio. Valeria Baerts, exhaustis omnino viribus, in supremo vitae agone iacebat ex febre typhoidea ad ultimum stadium perducta et meningiti cerebri consociata. Humana praesidia iam nulla erant. Votum rite concipit, seque B. Gerardi tutelae commendat, vires pristinas sic recepit, ut si nunquam vel levissimo tentata morbo fuisset.

Secundum miraculum accidit anno millesimo octingentesimo nonagesimo sexto. Litteris operam dabat in Seminario Compsano Vincentius De Geronimo adolescens annos quindecim natus, quum incidit in morbum; qui dum ingravesceret in dies magis, aegrotus in ultimum periculum est adductus. Nihil medicorum vel peritissimorum ars, diligentia, industria profuit ad eum sublevandum; indicia quidem omnia fatalis morbi certum exitium denunciabant. Pectori aegrotantis sacrae B. Gerardi reliquiae admoventur, statimque somno reffectus infirmus mirum! evigilat ac sanus est.

De quibus miraculis quae sequestro B. Gerardo fuerunt patrata quinquies actum; nempe duplici antepreparatorio coetu apud cl. me. Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella S. R. C. Praefectum, Causaeque Ponentem, sexto idus novembres anno MDCCCXCVIII, et resumpta causa

octavo cal. decembres MDCCCIII penes Reverendissimum Card. Dominicum Ferrata Causae Relatorem in Cardinalis Aloisi Masella vita defuncti locum suffectum: duplici preparatorio conventu in Vaticanis Aedibus quarto cal. septembres anno MDCCCXCIX et pridie cal. iunias volventis anni; demum in generalibus comitiis coram Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X. habitis septimo calendis Augusti eodem anno. Qua in postrema Congregatione idem Reverendissimus Cardinalis Dominicus Ferrata quum dubium proposuisset: „*An et de quibus miraculis, post indultam eidem Beato venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur*“, atque omnes qui interfuere Reverendissimi Cardinales, et Patres Consultores affirmativam sententiam edidissent, Beatissimus Pater mentem suam patefacere distulit, ut in tam gravi difficilique negotio tempus precationi esset ad caelestis luminis ampliolem opem expostulandam.

Hoc autem faustissimo die, quo omnes ingenti laetitia gestire videntur ob gloriam divinae Matris in caelum evectae, idem Sanctissimus Pater Sacris in suo sacello pientissime operatus, hanc Vaticanam nobiliorem aulam adiit et Reverendissimos Cardinales acciri iussit Aloisium Tripepi S. R. C. Pro-Praefectum, atque Dominicum Ferrata Causae Ponentem, nec non R. P. Alexandrum Verde S. Fidei Promotorem, meque insimul infrascriptum a Secretis, iisque adstantibus solemniter sanxit decreto: „*Constare de duobus propositis miraculis*“; scilicet de primo: „*Instantaneae perfectaeque sanationis Valeriae Baerts in supremo vitae agone constitutae ex febre typhoidea ad extremum stadium perducta et meningiti cerebri consociata*“; et de altero: „*Instantaneae perfectaeque sanationis Vincentii de Geronimo a lethali pleuritide exsudativa*“.

Hoc insuper decretum vulgari, et in S. R. C. acta referri mandavit XVIII calendis septembres anno millesimo noningentesimo quarto.

**Aloisius Card. Tripepi,**  
S. R. C. Pro-Praefectus.

L. † S.

† **Diomedes Panici,** Archiep. Laodicen.,  
S. R. C. Secretarius.

89.

**Decretum Murana seu Compsana Canonizationis beati Gerardi Maiella, laici professi  
e Congregatione sanctissimi Redemptoris.**

**Super dubio:**

„*An stante approbatione duorum miraculorum Tuto procedi possit ad solemnem eiusdem Beati Canonizationem*“.

Qui humilem et abditam in Christo vitam degentes nihil antiquius habuerunt, quam ut *mortificationem Eius in corpore suo circumferrent*, eos Caelitum honoribus augere solet Ecclesia, ut *glorietur Frater humilis in exaltatione*

sua (S. Iac. Ep. Cath. I, 9). Inter hos est accensendus Ven. Dei Servus Gerardus Maiella, laicus professus e Congregatione Sanctissimi Redemptoris, Murana in urbe ortus anno MDCCXXVI, piis parentibus, sed paupere censu. Ab ineunte aetate singulari studio pietatis enituit, eoque impetu amoris in Deum actus est, ut non dubitavit asperimum vitae genus amplecti et ardua virtutis sequi fastigia sive intra domesticos parietes, sive in officina, ubi in artem sartoriam incubuit, sive in silvestri secessu, quo, ut melius aeternae saluti consuleret, advolvit, sive in famulatu, quem egit apud Episcopum Lacedoniae.

Inter Sodales cooptatus novae Congregationis a Sanctissimo Redemptore adeo industrem ac solertem operam dedit hominibus Christo lucrandis, ea caritate in pauperes, in devios flagravit, ut, quamvis non e numero Apostolorum, sed vilioribus addictus officiis in domo Domini, Apostolum se utilissimum probaverit. Idem virtute prodigiorum maxime claruit, quibus cum vitae innocentia summaque animi demissione coniunctis commotae gentes omnis ordinis et conditionis, eum quotidie petebant, aventes ipsum intueri, ipsum audire, ab eo vitae sancte instituendae et praecepta haurire et exempla. Obiit integra aetate, tricesimo vitae suae anno nondum expleto, quem propterea laus illa decet: *Consummatus in brevi explevit tempora multa.*

Mortuum fama sanctitatis constanter est prosequuta simulque populorum fiducia, eundem apud Deum fore intercessorem validissimum. Cui confirmandae quum miracula accessissent eaque fuissent rite probata Leo XIII. fel. rec. caelitem Beatorum honores illi asseruit. Mox causa denuo agitata actioque de binis miraculis iuridice exhibitis et sedulo expensis instaurata Sanctissimus Dominus Pius Papa X. decimo octavo cal. septembres volventis anni de utroque constare rite edixit. Quocirca ut causae tot iam instructae praesidiis optatissimum imponeretur culmen, recensque cunctis virtutum lumen ad imitandum praesto esset,

nihil aliud institutae disceptationi supererat nisi ut de dubio ageretur: „*An, stante approbatione duorum miraculorum, tuto procedi possit ad solemnem Beati Gerardi Canonizationem*“. Quod praestitit Reverendissimus Cardinalis Dominicus Ferrata Causae Relator in generalibus comitiis coram eodem Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X., hoc vertente anno, septimo calendas sextiles ad Vaticanas Aedes coactis. Omnes qui interfuere quum Eminentissimi Cardinales, tum huius Sacrorum Rituum Congregationis Patres Consultores, unanimi quidem consensione, affirmativum tulere suffragium. Sanctissimus vero Dominus Noster, omnium sententiis perceptis, pro rei gravitate, monitos voluit cunctos ut preces impensius adhiberentur quae caeleste sibi Spiritus Sancti lumen auxiliumque efflagarent.

Hodierno igitur die, qui Mariae sanctae Dominae Nostrae sideribus receptae festus recolitur, votis universae Congregationis Sanctissimi Redemptoris impletis, Sacro pienissime peracto, acciri mandavit Reverendissimos Cardinales Aloisium Tripepi S. R. Congregationis Pro-Praefectum et Reverendissimum Cardinalem Dominicum Ferrata Causae Ponentem, nec non R. P. Alexandrum Verde Sanctae Fidei Promotorem, mecum insimul infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemniter pronunciauit: *Tuto procedi posse ad solemnem Beati Gerardi Maiella Canonizationem.*

Atque hoc Decretum publici iuris fieri et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri, litterasque Apostolicas sub plumbio de Canonizationis solemnibus in Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque celebrandis expediri praecepit, decimo octavo calendas septembres anno MDCCCCIV.

**Aloisius Card. Tripepi,**  
S. R. C. Pro-Praefectus.

L. † S.

† **Diomedes Panici,** Archiep. Laodicen.,  
S. R. C. Secretarius.

90.

Decretum Romana seu Praenestina et Tridentina Beatificationis et Canonizationis ven. servi Dei Stephani Bellesini, Ordinis Eremitarum S. Augustini, Parochi in oppido Genestano.

**Super dubio:**

„*An stante approbatione virtutum et duorum miraculorum tuto procedi possit ad solemnem eiusdem Ven. Servi Dei Beatificationem*“.

Quae ab Apostolo Paulo „*Falsi nominis scientia*“ appellatur, et effrenis vitae licentia, quae tentat praesertim iuveniles animos ab Ecclesiae complexu divellere, sunt haec potissimum artes, vel nostris temporibus, in catholice religionis

odium conversae. Ex quo facile intelligitur, quanti momenti sit, ad utrumque periculum deprecandum, magistri opera et parochi, quam bene de christiana republica sint meriti qui in alterutro ministerio, multoque etiam magis in coniuncto, laudem attigerint maximam; quam denique opportune et huiusmodi praesidia suscitet Deus et haec exempla ad imitandum proponat Ecclesia. Ex talium virorum numero est Augustinensis Eremitarum Familiae novum ornamentum, ven. Dei servus Stephanus Bellesini.

Huius vita, ad pietatem omnem composita super fundamento caritatis, diurno ac vere frugifero magisterio spectabilis est, quod, converso in publicam utilitatem exilio suo, iuventuti impertivit „in omni sapientia et intellectu spiritali“ (Coloss. I, 9). Quare mirum non est si eum populus, si publici magistratus instanter exquisiverint summisque laudibus cumularint, si invidia eorum exarserit, qui catholicum perosi nomen, doctrinae patrimonium ipsi sibi vindicant solis. Pacatis autem tempestatibus, quas gallici motus etiam in Italiam invexerant, et religiosis Familiis restitutis, ven. Dei servus a divina Providentia datus est oppido Genestano parochus, seu potius „pastor bonus, qui animam suam dat pro ovibus suis“. Nam, quum summa animi et corporis contentione laborasset ut reliquias tot malorum destrueret, quum omnium admirationem concitasset exemplo suo „in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate“ (I. Tim. IV, 12), quum collatis beneficiis plurimis cor ostendisset mensurae expers, quale de Salomone legitur: *quasi arenam, quae est in littore maris*, tandem lue correptus ministrando victima cecidit nobilissima caritatis IV non. februar. an. MDCCCXL.

Insignibus hisce virtutum exemplis, quas heroicum culmen attigisse edito sanxit de decreto Leo Papa XIII. fel rec. pridie idus majas anno MDCCCXCVI, quum iubar miraculorum accessisset, causa denuo agitata est et super duobus miraculis actio rite instituta, quo de utroque miraculo Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X. constare decrevit octavo cal. iulii labentis anni.

Unum inquirendum supererat utrum Beatorum caelorum honores ven. Dei servo Stephano Bellesini *Tuto* decerni possent. Itaque in coetu universo S. Rituum Con-

gregationis habito coram eodem Sanctissimo D. N. Pio Papa X. septimo cal. huius mensis augusti, Reverendissimus Cardinalis Aloisius Tripepi S. R. C. Pro-Praefectus loco et vice Reverendissimi Card. Vincentii Vannutelli causae Relatoris, discutiendum dubium proposuit: „An stante approbatione duorum miraculorum *Tuto* procedi possit ad solemnem Ven. Servi Dei Stephani Bellesini Beatificationem. Quamvis Reverendissimi Cardinales et PP. Consultores unanimi suffragio *Tuto* fieri posse respondissent, nihilominus Beatissimus Pater mentem suam aperire distulit, ut diuturnis precibus caeleste lumen efflagaretur.

Hodierno vero laetissimo die, quo Beata Dei Mater caelum est ingressa, salutari Hostia ferventer oblata, ad Vaticanas aedes accivit Reverendissimum Cardinalem Aloisium Tripepi S. R. C. Pro-Praefectum, loco etiam Reverendissimi Card. Vincentii Vannutelli Episcopi Praenestini causae Relatoris, itemque R. P. Alexandrum Verde S. Fidei Promotorem et me infrascriptum Secretarium, iisque adstantibus solemniter decreto sanxit: „*Tuto* procedi posse ad solemnem Ven. Servi Dei Stephani Bellesini Beatificationem“.

Quod Decretum publici iuris fieri, et in Acta SS. RR. Congregationis referri, Litterasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificationis solemnibus in Patriarchali Basilica Vaticana, ubi primum licuerit, celebrandis, expediri iussit decimo octavo calendis septembris anno MDCCCXIII.

Aloisius Card. Tripepi,  
S. R. C. Pro-Praefectus.

L. † S.

† Diomedes Panici, Archiep. Laodicen.,  
S. R. C. Secretarius.

## 91.

Litterae Apostolicae in forma Brevis Pii PP. X., quibus Deipara Virgo a bono Consilio et s. Petrus Claver sodalities a s. Petro Claver nuncupati patroni eliguntur eorumque festum ad ritum duplicem maiorem evehitur.

## PIUS PP. X.

### Ad perpetuam rei memoriam.

Ad Apostolicae Sedis fastigium divinae clementiae munere erecti, in omnes christiani orbis partes vel longo terrarum marisque spatio dissitas vigilantis Nostrae mentis oculos convertimus, et divinis praeceptis obsequentes, et clarissima Decessorum Nostrorum exempla sectantes, ea potissimum praestare satagimus, quae ad patefaciendum Evangelii lumen conducere videantur. Hoc quidem consilio pias societates ad finem institutas proferendi Ecclesiae terminos penes populos in errorum umbra sedentes, ac praesertim penes gentes interioris Africae plagas incolentes,

immanitate barbaras cultuque efferatas, ut simul et recte factis praemium ferant, atque ad potiora capessenda incitamentum peculiaribus voluntatis Nostrae significationibus cohonestandas existimamus. Haec inter pia opera, praestat sodalities a sancto Petro Claver nuncupatum; hoc enim provinciam unicam sibi demandatam habet Africam, atque ad unicum hunc finem canonice erectum est, nempe ad iuvandi Missionarios universos cuiusque nationis atque instituti Apostolicum munus in Africa obeuntes.

Hinc quasi cohors auxiliaria societas huius modi omnium sacrarum in Africam expeditionum emolumento eminens consulit, atque assidua et constanti opera ad catholicam illis in regionibus fidem provehendam, servandam; ad mancipia in

libertatem vindicanda; simulque ad aeternam nigrorum salutem procurandam intendit. Sodalitium sub dependentia positum est Congregationis de Propaganda Fide. Summa pii operis manet penes institutum religiosarum sodalium a sancto Petro Claver appellatum; cuius moderatrix generalis et sodalitia praeest; easdem vero adiuvant utriusque sexus socii ubique terrarum existentes. Hi iuxta societatis tabulas, diversaque munera quibus operam navant, sodales, zelatores, zelatrices, vel externi appellantur, omnesque quo propositum sibi finem facilius assequi valeant, stipe, precibus, typis editis scriptis, sacris ephemeridibus, aliisque piis id genus operibus Africae Missionariis student subvenire.

Nunc autem cum dilecta in Christo filia Maria Teresa Ledóhowska moderatrix generalis pii ipsius Operis, enixas Nobis preces humiliter adhibuerit, ut peculiari illud voluntatis Nostrae pignore decorare dignaremur; Nos haec Nobiscum tam frugiferi sodalitia promerita reputantes, votis hisce ultro libenterque censuimus annuendum. Quae cum ita sint, omnes et singulos quibus hae Nostrae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, quo sodalitium ipsum pluribus nominibus iam de sacra re optime meritum, uberiora capiat, Deo favente, incrementa, et cum externis illius praesidiis, tutela quoque et gratia de superis congruat, Deiparam Virginem a bono Consilio, et sanctum Petrum Claver, Auctoritate Nostra Apostolica, praesentium vi caelestes eidem patronos eligimus, damus, eiusque volumus omnes honorificentias tribui caelestibus patronis competentes. Has vero ambas festivitates, ut ad amplificandam ipsarum dignitatem, ne desit quidem amplioris liturgiae accessio, Apostolica similiter Nostra Auctoritate per praesentes, quoad Ecclesias ubique terrarum piis instituti eiusdem domibus continentes, ad ritum duplicem maiorem, servatis rubricis, evehimus. Placet autem Nobis caelestem Patronam ipsi societati a bono Consilio Virginem adsignare, spem enim prope certam fovemus, futurum ut ipsa sodalium coeptis propitia favens, bona illis suggeret consilia, eorumque actus omnes in sacrarum in Africam expeditionum bonum atque emolumentum vertat. Petro autem Claver est ipso cum opere

ratio quaedam singularis et propria. Hic enim coeles, qui cum mortale aevum ageret, omni christianae charitatis studio animum appulit ad levandas pauperum Afrorum in vincula coniectorum aerumnas, et nigrorum Apostolus iure meritoque vocatus fuit, procul dubio sodalibus addet vires, ut propositum sibi finem, nigrorum nempe salutem, satius consequantur.

Quapropter spes Nos bona tenet, societatem ipsam auspice Virgine a bono Consilio, ac deprecatore Petro Claver, brevi et aucto sodalium numero, et fidelium stipem conferentium diligentia et liberalitate, tot tantaque suscepturam incrementa, ut in omnes gentes ac nationes prolata, universos unanimi consensu fideles ad Afrorum spirituale bonum provehendum rapiat. Salvator autem et instaurator humani generis Christus, cuius sanctissimo propugnando nomini et ipsa societas incumbit, tegat ipsam gratia praesidioque; Nosque interea tum moderatrici cum sodalibus, aliisque ex utroque sexu fidelibus pium ipsum in opus rite adlectis, coelestium munerum auspiciem Nostraeque voluntatis pignus, Apostolicam benedictionem, peramanter impertimur. Haec mandamus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortire et obtinere, ac illis ad quod spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X Iunii MDCCCIV, Pontificatus Nostri Anno Primo.

L. † S.

(sign.) Alois. Card. Macchi.

92.

**Missa votiva de Immaculata B. M. V. Conceptione extenditur ad singulos dies triduanae vel novenariae eiusdem festivitatis instituendae.**

Qui munus sibi demandatum, ad quinquagenaria a dogmatica definitione de Immaculato B. Mariae Virginis Conceptu solemniter provehenda, Eminentissimi Patres Cardinales naviter et in exemplum exercent, recentia quaedam eaque

communia quoque pluribus Sacrorum Antistitibus atque Christifidelibus vota Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X. humillime depromere e re esse existimarunt. Summus vero Pontifex qui nihil magis in optatis habet,

quam novis sedulo argumentis Suum in Deiparam sanctam primaevae labis nesciam amorem et obsequium testari, enixas preces referente infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefecto, nuper exhibitas perlibenter excepit. Et proinde Missam votivam de ipsamet Immaculata Conceptione qualibet die octavae uniuscuiusque mensis vel dominica sequenti una cum Eiusdem commemoratione, indultam per Decretum S. R. C. *Urbis et Orbis* die 14. Augusti 1903, extendere dignatus est ad singulos dies triduanæ vel novenariæ festivitatis quæ in quibusvis

ecclesiis seu oratoriis, approbante loci Ordinario, in honorem Virginis Immaculatae intra hunc vel proximum annum instituetur, servatis tamen ceteris clausulis et conditionibus quæ in memorato decreto praescriptæ sunt. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 22 Iunii 1904.

A. Card. **Tripepi**, Pro-Praefectus.

L. † S.

† **D. Panici**, Archiep. Laodicen., Secret.

93.

**Consuetudo non adhibendi conopeum ante tabernaculum sanctissimi Sacramenti servari nequit.**

Ab hodierno caeremoniarum magistro cuiusdam ecclesiae cathedralis expostulatum fuit: An servari possit consuetudo non adhibendi conopeum quo tegi debet tabernaculum, ubi asservatur sanctissimum Eucharistiae Sacramentum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

*Negative et serventur Rituale Romanum et Decreta.*  
Atque ita rescripsit.

Die 1 Iulii 1904.

A. Card. **Tripepi**, Pro-Praefectus.

L. † S.

† **D. Panici**, Archiep. Laodicen., Secret.

94.

**Litterae Pii PP. X. ad Cardinalem Petrum Respighi de educandis Clericis Romae degentibus in Seminariis ibi existentibus.**

**Al Signor Cardinale Pietro Respighi, vicario generale per la diocesi di Roma.**

La ristorazione d'ogni cosa in Cristo, che ci siamo proposti coll'aiuto del Cielo nel governo della Chiesa, esige, come più volte abbiamo già manifestato, la buona istituzione del clero; la prova delle vocazioni, l'esame sull'integrità della vita degli aspiranti e la cautela per non aprir loro con troppa indulgenza le porte del santuario. Per far regnare Gesù Cristo nel mondo nessuna cosa è così necessaria come la santità del clero, perchè con l'esempio, con la parola e con la scienza esso sia guida ai fedeli, che, come dice un antico proverbio, saranno sempre quali sono i sacerdoti: *sicut sacerdos, sic populus*.

Leggiamo infatti nel S. Concilio di Trento: *Nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicaverunt; quum enim a rebus saeculi in altiore sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos coniciunt, ex iisque sumunt quod*

*imitentur.* (Sess. XXII, cap. I de Reform.). Da questo emerge chiara la necessità, che i chiamati nella sorte del Signore fin dai primi anni siano non solo informati a quella pietà e a quella dottrina, che li rendano sale della terra e luce del mondo, ma la santità della vita abbiano meditata e praticata sotto una vigilante osservanza ed una accurata disciplina nei Seminari. Nei Seminari infatti si educano le tenere piante, che fatte alberi daranno frutti copiosi; nei Seminari si preparano gli operai, che dovranno coltivare la vigna del Signore, e finalmente si esercitano i coraggiosi atleti, che dovranno sostenere con forza le divine battaglie.

Con molta ragione pertanto i Padri del S. Concilio di Trento dopo la Sessione (XXIII, cap. 18 de Reform.) in cui fu decretata l'istituzione di questi noviziati ecclesiastici, pieni di santa allegrezza si congratularono a vicenda ripetendo che, se il Concilio di Trento non avesse stabilito che questo, non si sarebbe dovuto lamentare nè la sua lunga durata, nè le gravi difficoltà e pene, che si erano sostenute.

E qui Noi dobbiamo ringraziare la Provvidenza, che per la sollecitudine e generosità dei Nostri Venerati Predecessori la città nostra non solo è provveduta di ottimi Seminarî pei bisogni della Diocesi, ma è ricca di Seminarî e Collegi per quasi tutte le nazioni: il che apre il cuore non solo alla speranza, ma alla certezza che la pietà e la scienza di questi alunni che si spargono per tutto il mondo produrranno frutti di benedizione.

Convinti pertanto e persuasi della necessità che quanti aspirano al Sacerdozio siano educati nei Seminarî per mantenere e coltivare la vocazione allo stato ecclesiastico, ed affinchè le vocazioni vere si possano meglio conoscere dai Superiori, che devono rendere il *bonum testimonium* prima che sugli aspiranti stessi vengano imposte le mani; persuasi che quanti hanno la vera vocazione niente maggiormente desiderano che di entrare in questi cenacoli, dove pei celesti carismi dello Spirito Santo si preparano alla missione, a cui sono divinamente chiamati (e chi sente altrimenti lascia molto a dubitare sulla verità e sincerità della sua vocazione); col voto, che quanti si credono chiamati al Sacerdozio fin dai primi anni, se fosse possibile, entrino in questi asili della pietà e dello studio; confermando pienamente quanto Ella Sig. Cardinale ha disposto in proposito con le lettere circolari dirette ai Reverendissimi Ordinari d'Italia negli ultimi tre anni scorsi; siamo inoltre venuti nella determinazione di stabilire:

1.<sup>o</sup> Tutti i Chierici della Diocesi di Roma, come quelli che dalle diverse Diocesi d'Italia vengono mandati a Roma dai loro Reverendissimi Ordinari per attendere agli studî, debbono essere convittori in un Seminario o Collegio ecclesiastico.

